PROCANCELLARIVS

CHRISTIANVS GOTTLIEB HAVBOLD

EQVES ORDINIS SAXONICI VIRTVTIS CIVICAE
IVRIS PATRII PROF. PVBL. ORD. SVPREMAE CVRIAE PROVINC
SAXON. CONSILIARIVS, ORDINIS IVRISCONSVLTORVM ADSESSOR
COLLEGII MINORIS PRINCIPVM SODALIS

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

GVSTAVI FRIDERICI HAENELII

ANNABERGENSIS

PHILOS. D. AA. LL. M. IVR. VTR. BACCAL. ADVOCATI ET NOT. PVBL
IN REGNO SAXON. IMMATRICVLATI

DIE x. M. IVNII A. C. cIↃIↃcccxvii

PVBLICE CELEBRANDA

INDICIT

Inest

FRAGMENTVM GRAECVM

de obligationum causeis et solutionibus, in primis de stipulatione Aquilliana,

ab Angelo Maio nuper in lucem protractum, nunc iterum editum et breui adnotatione illustratum.

In dies pergit Angelus Maius, Vir Celeberrimus, bibliothecae nobilissimae, cui praeest, loculos excutiendo et, quae non minori fortuna, quam sollertia et sagacitate vsus inuenit, a diuturno interitu in vitam reuocando de antiquis litteris praeclare mereri. Qui enixi studii fructus tantum abest, vt intra fines earum litterarum, quibus proprium nomen est ab humanitate, contineantur, vt nulla fere ars sit vel disciplina, praesidiorum antiquitatis haud plane expers, cui non ab inuentorum Mediolanensium claritate lucis aliquid adfulserit. Quae quum ita sint, nemini mirum videbitur, etiam in iuris doctrinam, si qua alia, humanitatis studiis arctissimo vinculo nexam, plurimum vtilitatis ex illa temporum nostrorum opportunitate redundasse; de qua re iam ex vno pulcherrimorum monumentorum Tullianae eloquentiae, Maii beneficio ab obliuionis iniuria vindicatorum, exemplo satis constare existimamus. Nuperrime autem factum est, vt eiusdem Viri ad augendas litteratae antiquitatis copias nati industria incideret in frustum iurisprudentiae Graecae, ipsi scholion Basilicorum visum, quod ad calcem Opusculorum Philonis ac Porphyrii, itidem superiori anno ab eo luci redditorum [a]), graece exhibuit notulisque aliquot locupletauit [b]),

a) Philonis *Iudaei* de virtute eiusque partibus. Inuenit et interpretatus est *Angelus* Maivs, A. C. D. (Ambrosiani Collegii Doctor) Praeponitur Dissertatio cum descriptione librorum aliquot incognitorum Philonis cumque partibus nonnullis Chronici inediti Evsebii *Pamphili* et aliorum operum Notitia e Codicibus Armeniacis petita. Mediolani regiis typis 1816. 8. pagg. LXXX. et 28. Porphyrii *Philosophi* ad Marcellam. Inuenit, interpretatione notisque declarauit *Angelus* Maivs. Accedit eiusdem Porphyrii poeticum Fragmentum. Mediolani regiis typis 1816. 8. pagg. VIII. et 68.

b) Pag. 65—67. Opusculi Porphyriani.

praemisso quidem, quod sequitur, elogio. „PARERGON. Haud absurde facere mihi videor, si hoc libello, in quo multa de Armeniis dixi, graecum quoque scholion exhibeam, quod Codex quidam Ambrosianus addit titulo sexto, qui est *de Armeniis* in libro XLV. Basilicorum; omittitur autem eo loco in Parisiaca Basilicorum editione. Quippe post dictum titulum subiunguntur in editione Scholia duo Theodori Hermopolitae (qui Basilic. T. III. p. 57. antonomasia quadam dicitur *ὁ διατάξεων ἐξηγητὴς, constitutionum interpres*), quibus scholiis Codex Ambrosianus interponit spatiosum aliud *de obligationibus* et *de Aquilliana stipulatione*, quod est eiusmodi." Descripserat nimirum Vir etiam orientalium litterarum intelligentissimus in fronte Philoniani Opusculi varios Codices Armeniaca lingua conscriptos, quorum alios seruat et ipsa Bibliotheca Ambrosiana, aliorum copiam clarissimus Armeniorum doctor, Ioannes Zohrabus, editori fecerat, in his quam maxime insigne Chronici Eusebiani integri exemplum, cuius specimina in latinum sermonem conuersa Vir eruditissimus ibidem exhibuit, vniuersi autem propediem vulgandi laetam commouit exspectationem [c]). Quae honorifica meritorum Armeniacae nationis in litteras mentio ansam praebuit nostro, vt ipse professus est, communicandi cum viris doctis eius, quod titulo Basilicorum *de Armeniis*, e Nouellis Iustiniani, quippe XXI. c. 1. XXXVI. et CXVII. c. 1. mixto [d]), adscriptum repererat Codici Ambrosiano, corollarii; vnde rursus factum est, vt, licet ipsi *παρέργῳ* nihil inesset, ad quod quis illarum legum, nedum nationis Armeniacae, reminisci posset, tamen in Indice operum, quae Maii beneficio lucem Mediolani adspexerunt, Mediolani venalium, auctoritate procul dubio Editoris Celeberrimi publice

c) Diss. praeniae P. II. p. XXVI. d) T. VI. p. 137—139. ed. Fabrot.

proposito, idem pro graeco scholio ad Basilicorum titulum de Armeniis venditaretur. Quo munere vt quam primum fruantur, quibus forte nondum visa est libri editio, iuuat per praesentem scribendi necessitatem ab officii ratione mihi impositam non solum ipsum fragmentum diligenter recognitum et mendis nonnullis, quae in Mediolanense *πρωτότυπον* irrepserant, purgatum, addita, quae ab hoc abest, latina versione, nouaque adnotatione, repetere, verum etiam de consilio totius opellae, et, quam nostris litteris adferat, vtilitate adcuratius disputare. En igitur fragmentum ipsum!

---

1. [1]) *Τέσσαρες εἰσὶν ἐνοχαὶ ἀπὸ συναλλαγμάτων ἐγειρόμεναι, re, verbis, litteris, consensu.* [2]) *Καὶ ἡ μὲν re συνίσταται ἀπὸ φάκτου ἤτοι ἀριθμήσεως, καὶ τῆς ἀπὸ* [3]) *χειρῶν εἰς* [4]) *χεῖρας* [5]) *ἀποθέσεως.* [6]) *Ἡ δὲ verbis συνίσταται ἐξ ἐπερωτήσεως καὶ* [7]) *ἀποκρίσεως, ἡνίκα* [8]) *ἢ γενέσθαι ἢ δοθῆναί τι ἐπερωτῶμεν.* [9]) *Ἡ litteris συνίσταται ῥήμασι καὶ γράμμασι* [10]) *τυπικῶς.* [11]) *Ἡ δὲ consensu*

1. *Quatuor sunt obligationes e contractibus oriundae: re, verbis, litteris, consensu. Et re quidem (obligatio) contrahitur ex facto vel numeratione, atque e manu in manum traditione. Verbis autem contrahitur ex interrogatione et responsione, quando aut fieri quid aut dari stipulamur. Litteris contrahitur per verba sollemniter dicta et scripta. Consensu autem*

---

1) Cf. Theoph. ad §. 2. Inst. de Oblig. 3, 13. „*Τέσσαρες δὲ ἐκ τῶν συναλλαγμάτων τίκτονται ἐνοχαί*, re, verbis, litteris et consensu.“ Pro *τίκτονται* Fabrotiana vtraque legit *ἐγείρονται*, sicut ante Fabrotum: *ἢ ῥέ, βέρβις, λίτερις καὶ κονσένσου.* 2) Cf. Theoph. ad pr. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig. 3, 14. 3) *χειρὸς* Theoph. 4) *χεῖρα* Theoph. 5) *μεταθέσεως* Theoph. 6) Cf. Theophilus ad pr. Inst. de Verb. oblig. 3, 15. 7) Addit Theoph. *συμφώνου.* 8) *ἢ γενέσθαι τι ἢ δοθῆναι* Theoph. 9) Cf. Theoph. ad tit. Inst. de Litter. oblig. 3, 2. 10) *τυπικοῖς* Theoph. et ita etiam infra §. 4. *γράμμασι τυπικοῖς.* Sed vetustiores edd. habent: *ῥήματι καὶ γράμματι τυπικῷ.* 11) Cf. Theoph. ad tit. Inst. de Obligat. ex consensu. 3, 22.

συνίσταται ἀπὸ συναινέσεως, ἥτις καὶ μεταξὺ ἀπόντων ἰσχυρῶς προβαίνει. [12]) *Αὗται αἱ τέσσαρες ἐνοχαὶ πάσας τὰς ἀπὸ συναλλαγμάτων τικτομένας ἐνοχὰς, καὶ τὰς ἐγειρομένας κατ' αὐτῶν ἀγωγὰς ἐν αὐταῖς περιέχουσι, καὶ ὑπ' αὐτῶν διορίζονται.*

contrahitur ex conuentione, qualis etiam inter absentes rata est. Hae quatuor omnes obligationes, quae ex contractibus descendunt, exque iis oriundas actiones in se continent, et per eas distinguuntur.

2. [13]) *Εἰσὶ δὲ ἕτεραι τέσσαρες ἐνοχαὶ, οὐ κυρίως ἀπὸ συναλλαγμάτων, ἀλλ' ὡσανεὶ ἀπὸ συναλλαγμάτων· οἷον* [14]) *ἡ νεγοτιόρουμ γεστόρουμ, τουτέστιν ἡ τοῦ ἀλλοτρίου πράγματος διοίκησις* [15]) *χωρὶς μανδάτου·* [16]) *καὶ ἡ τουτέλας ἤτοι κατ' ἐπιτρόπων·* [17]) *καὶ τὸ communi diuidundo, τουτέστιν ἡ διαιροῦσα τὰ ἐπίκοινα πράγματα, κοινωνίας ἐκτὸς, ὅταν τυχὸν δωρηθῇ τισὶν ἢ ληγατευθῇ·* [18]) *καὶ τὸ περὶ διαιρέσεως φαμιλίας,* ἤτοι [19]) *ἐγκληρονόμων, ὡσανεὶ ἀπὸ συναλλαγμάτων ἐστίν·* [20]) *καὶ ὅταν τις*

2. *Sunt autem aliae quatuor obligationes, quae non proprie e contractibus, sed quasi e contractibus veniunt. Cuiusmodi sunt n e g o t i o r u m g e s t o r u m, id est, alieni negotii administratio citra mandatum; et (a c t i o) t u t e l a e siue aduersus tutores; et c o m m u n i d i u i d u n d o, hoc est, (i u d i c i u m) separans res extra societatem communes, velvti quibusdam (s i m u l) donatas vel legatas. Etiam (i u d i c i u m) f a m i l i a e e r c i s c u n d a e, scilicet inter coheredes, quasi ex contractu est. Et si quis me he-*

---

12) Absunt haec a Theophilo, sed respondent iis, quae ad finem §. 2. Fragmenti nostri leguntur. 13) Cf. Theoph. ad pr. Inst. de Oblig. quae quasi ex contractu nascuntur, 3, 27. 14) Cf. Theoph. ad §. 1. eod. 15) *δίχα* Theoph. 16) Cf. Theoph. ad §. 2. eod. 17) Cf. Theoph. ad §. 3. eod. 18) Cf. Theoph. ad §. 4. eod. 19) Mallem *συγκληρονόμων*, quod exstat apud Theoph. tum h. l. tum ad §. 20. Inst. de Action. 20) Cf. Theoph. ad §. 5. Inst. de Oblig. quae quasi ex contr. „*Εἰ δὲ καί τις τελευτῶν ἐνστήσηταί με κληρονόμον, ληγατεύσῃ δὲ παρ' ἐμοῦ πρᾶγμα ἀλλότριον· κατέχομαι ἐγὼ τῷ ληγαταρίῳ ἕνεκα τοῦ καταλειφθέντος τῇ* ex testamento.“

κληρονόμον καταλιπὼν με ληγατεύσῃ παρ' ἐμοῦ πρᾶγμα ἀλλότριον, κατέχομαι τῷ ληγαταρίῳ τῇ ex testamento, τουτέστιν ἀπὸ διαθήκης. [21]) Καὶ αὗται δὲ αἱ τέσσαρες ἐνοχαὶ ὡσανεὶ ἀπὸ συναλλαγμάτων ἔχουσιν ἐν αὐταῖς τικτομένας ἐνοχὰς καὶ ἐγειρομένας κατ' αὐτῶν ἀγωγάς.

5. [22]) Διαλύονται δὲ αὗται [23]) τῇ καταβολῇ τοῦ ἐποφειλομένου, ἢ ἑτέρου ἀντ' αὐτοῦ, [24]) βουλομένου τοῦ δανειστοῦ.

4. [25]) Καὶ ἡ ἀκκεπτιλατίων ἤτοι ἀθώωσις διαλύει τὴν ἐνοχήν. Αὕτη δὲ [26]) μόνη τὴν ἀπὸ τῆς βέρβις (τὴν ἐν λόγοις) ἐνοχὴν διαλύει. Οὐ μὴν τὴν ἀπὸ τῆς ῥὲ, ἢ λίτερις (τὴν ἐν γράμμασι τυπικοῖς,) ἢ κονσένσο (τὴν ἀπὸ συναινέσεως). Ἀκόλουθον γὰρ ἐνομίσθη εἶναι τὴν ῥήμασιν [27]) ἐνισταμένην ἐνοχὴν ἑτέροις ῥήμασι δύνασθαι [28]) καταλύεσθαι.

redem relinquens a me legauerit rem alienam, teneor ego legatario (actione) ex testamento, id est, ex vltima voluntate. [Et hae quatuor obligationes quasi ex contractibus continent in se natas ex iisdem obligationibus actiones.

3. *Dissoluuntur autem hae (obligationes) solutione eius, quod debetur, aut alius rei loco debitae, consentiente (tamen) creditore.*

4. *Etiam acceptilatio (ἀθώωσις) dissoluit obligationem. Haec vero sola verborum obligationem dissoluit, non item re, aut litteris, aut consensu contractam. Consentaneum enim visum est, verbis initam obligationem aliis verbis posse dissolui.*

---

21) Etiam haec absunt a Theoph. vt finis §. 1. 22) Cf. Theoph. ad pr. Inst. Quib. mod. toll. oblig. 3, 29. 23) τῇ σολουτίωνι, τουτέστι τῇ καταβολῇ Theoph. 24) Apud Theoph. l. l. συναινέσει τοῦ κρεδίτωρος. 25) Haec §. fere integra descripta est e Theoph. ad §. 1. eod. vsque ad verba: ἀκολούθως ἡ ἀκκεπτιλατίων ἐπάγεται. 26) Leg. μόνην, vt ap. Theoph. et infra §. 5. 27) συνισταμένην Theoph. 28) συγκαταλύεσθαι Theoph. quod *Guil. Ott.* Reitzio prae vulgato καταλύεσθαι placuit.

Εἰ δὲ ἑτέρωθεν ἔστι μοί τις ἔνοχος, οἷον ἀπὸ τῆς ῥὲ, λίτερις, consensu, ἢ ἀπὸ τῆς negotiorum gestorum, ἢ ex testamento (ἤτοι ἀπὸ διαθήκης), βουληθῶ δέ σοι τοῦτο συγχωρῆσαι [29]), δύναμαί σε ἐπερωτᾶν οὕτως· ὁμολογεῖς διδόναι μοι, ὅπερ ἐποφείλεις ἐκ τῆςδε τῆς ἀγωγῆς; καὶ σοῦ εἰπόντος· ὁμολογῶ· ἡ μὲν προτέρα ἀναίρηται ἀγωγὴ, τίκτεται δὲ ἡ βέρβις, καὶ [30]) ἀκολούθως ἡ acceptilatio ἤτοι ἀθώωσις ἐπάγεται.

Si quis vero mihi aliunde obligatus sit, veluti re, litteris, consensu, aut ex negotiorum gestione, aut ex testamento, atque ego tibi hoc (d e b i t u m) remittere velim, possum te interrogare hunc in modum: „Spondesne mihi dare, quidquid ex hac vel illa actione debes?“ et te dicente: „Spondeo,“ prior quidem actio perimitur, nascitur autem verborum obligatio, et (h u i c) consequenter acceptilatio (ἀθώωσις) inducitur.

5. [31]) Καὶ ἐν ἐκείνῳ μέν ἐστιν ἡ διαφορὰ σολουτίωνος καὶ [32]) ἀκκεπτιλατίωνος, ἤτοι διαλύσεως καὶ ἀθωώσεως· ὅτι ἡ μὲν διάλυσις πᾶσαν διαλύει ἐνοχὴν, ἡ δὲ ἀθώωσις μόνην τὴν βέρβις, ἤγουν τὴν ἐν λόγῳ ἐνοχήν. Ἐν ἐκείνῳ δὲ αὐτοῖς ἐστι κοινωνία· [33]) ὥσπερ γὰρ μέρος χρέους καταβληθὲν ἐν μέρει διαλύει τὴν [34]) διαγωγὴν, οὕτως καὶ εἰς μέρος δύναται γίνεσθαι ἀθώωσις ἤτοι acceptilatio.

5. Atque in eo quidem solutio differt ab acceptilatione, quod solutio omnem dissoluit obligationem, acceptilatio vero solam verbis contractam. In eo autem conveniunt, quod, sicut solutio, parte debiti soluta, pro parte tollit actionem, ita etiam pro parte fieri potest acceptilatio.

---

29) Theoph. addit: *τὸ χρέος*, quod omnino supplendum. 30) Ap. Theoph. haec interiecta sunt: *λοιπὸν συστάσης τῆς* verbis. 31) Etiam huius §. fons est Theoph. ad §. 1. eod. sub fin. 32) Maivs perperam exhibuit *ἀσερτιλατίονος*, quae forma parum abest ab *ἀκεπτιλατίωνος*, vocabulo in Glossis nomicis obuio. 33) Ap. Theoph. melius haec ita sunt nexa: *ὅτι ὥσπερ μέρος κ. τ. λ.* 34) *ἀγωγὴν* Theoph. sed legendum vtique *ἐνοχὴν*, auctore Reitzio.

6. [35]) Ἐπειδὴ δὲ [36]) τὸν ἑτέρωθεν ἐποφείλοντα ἐπερωτηθέντα καὶ γενόμενον ἔνοχον τοῖς verbis, δύνασθαι τότε διὰ τῆς ἀκκεπτιλατίωνος ἤτοι ἀθωώσεως ἐλευθεροῦσθαι· ἀναγκαῖον εἰπεῖν καὶ [37]) περὶ τῆς Ἀκουϊλιανῆς ἐπερωτήσεως, ἥτις ἐπερώτησις πλέον πᾶσαν ἐνοχὴν δύναται εἰς ἑαυτὴν κατάγειν, καὶ διὰ τῆς ἀκκεπτιλατίωνος ἤτοι ἀθωώσεως ἀναιρεῖν. Ἡ γὰρ Ἀκουϊλιανὴ ἐπερώτησις πᾶσαν ἐνοβάτευσεν ἐνοχὴν, [38]) ἤτοι ἀνεκαίνιζε μετατεθεῖσαν εἰς ἑτέραν ἐνοχήν. Ὑπὸ δὲ Γάλλου Ἀκουϊλίου τοῦ νομικοῦ οὕτω σύγκειται· „Εἴτι μοι ἐξ οἵας δήποτε αἰτίας [39]) δοῦναι ποιῆσαι ἐχρῆν ἢ [40]) καθαρὸν ἢ ὑπὸ ἡμέραν, καὶ ὧν πραγμάτων χάριν ἐμοὶ κατὰ σοῦ ἀγωγὴ ἢ ἰν ῥὲμ ἢ [41]) περσονάλια ([42]) τουτέ-

6. *Quoniam vero* (*diximus*) *eum, qui aliunde debet. interrogatum ac verbis obligatum, posse deinde per acceptilationem liberari: necesse est dicere etiam de Aquilliana stipulatione, quae omnem omnino obligationem potest in stipulationem deducere et per acceptilationem* (ἀθώωσιν) *tollere. Nam Aquilliana stipulatio omnem innouabat obligationem, seu mutabat conuersam in aliam obligationem. A Gallo autem Aquillio Iurisconsulto sic est composita: „Si quid mihi ex quacumque caussa dare facere te oportuit siue pure siue in diem, quarumque rerum nomine mihi tecum actio siue in rem, siue in personam est eritue; quodque tu meum habes, tenes, pos-*

35) Fundus rursus THEOPHILVS ad §. 2. eod. 36) Sensus poscit, vt suppleatur, praeeunte THEOPHILO, *εἰρήκαμεν* vel simile quid. 37) Rectius sic, quam apud THEOPHILVM: *περὶ τῆς ἀκκεπτιλατίωνος καὶ τῆς ἀκ. ἐπ.*, quum hic locus de sola stipulatione Aquill. agat, eamque acceptilatio non praecedat, sed subsequatur. 38) Abest haec explicatio, vt solet, a THEOPHILO. *Μεταθέσεως* vocabulum eodem sensu vsurpatur in Basilicis Lib. XXVI. tit. 4. c. 1. T. IV. p. 126. et ab HARMENOPVLO Lib. III. tit. 5. §. 83. 39) THEOPH. *δοῦναι ἤ τι ποιῆσαι ὡς χρὴ ἢ ἐχρῆν*, sensu ab ipsa formula, qualem e *L.* 18. §. 1. *D. de Acceptil.* et §. 2. *Inst. Quib. mod. oblig. toll.* discimus, aliquantum quidem diverso, nec tamen reiiciendo. 40) *πούρως ἢ in diem* THEOPH. 41) ἢ, quod MAIVS inter ἢ et *περσονάλια* inseruit, manifeste abundat. 42) Neque hanc explicationem habet THEOPH.

στιν ἢ πραγμάτων ἀπαίτησις ἢ προσωπική) ἔστιν ἢ ἔσται, καὶ ὅπερ ἂν σὺ ἐμὸν ἔχῃς, [43]) κρατεῖς, νέμῃ ἢ ἐνεμήθης, ἢ [44]) δόλον ἐποίησας, ὅπως μὴ νεμηθῇς, [45]) ὅσον ἐστὶν ἕκαστον τούτων τῶν πραγμάτων, τοσαῦτα χρήματα δώσειν ἐπηρώτησε μὲν [46]) ὁ Αὖλος [47]) Ἀγερούχιος· [48]) ὁμολογήσας δὲ Νουμέριος Ἐγίδιος.“ Εἶτα μετὰ τὸ γενέσθαι τὴν τοιαύτην ἐπερώτησιν, καὶ πάντα [49]) ἐνεχθῆναι εἰς τὴν βέρβις, [50]) τότε ὁ Νουμέριος Ἐγίδιος διὰ τῆς Ἀκουϊλιανῆς [51]) ἐπερωτᾷ Αὖλον Ἀγερούχιον· [52]) „ὅτι εἴτι σοι κατὰ τὴν σήμερον ἡμέραν [53]) διὰ τῆς Ἀκουϊλιανῆς ἐπερωτήσεως ὡμολόγησα, τοῦτο ὅλον ἔχεις λαβών;“ ἀποκρίνεται [54]) Αὖλος Ἀγε-

*sides aut possedisti, aut dolo (**malo**) fecisti, quo minus possideres, quanti quaeque earum rerum est, tantam pecuniam dari stipulatus est Aulus Agerius, spopondit Numerius Negidius.“ Deinde, facta huiusmodi stipulatione, et omnibus in verborum obligationem conuersis, tunc Numerius Negidius per Aquillianam stipulationem (**interrogatus**) interrogabat Aulum Agerium: „quidquid tibi hodierno die per Aquillianam stipulationem (**interrogatus**) spopondi, id omne habesne acceptum?“ Respondet Aulus Agerius: „habeo acceptum et acceptum tuli.“ Et ecce! per priorem quidem formulam contracta est*

---

43) In Theoph. ed. Reitz. *ἢ κρατεῖς, ἢ νέμῃ.* Prius tamen *ἢ* ab aliis editis abest. 44) Legendum, monente Reitzio, vel *δόλῳ* vel *κατὰ δόλον*, quamquam et Theophilvs sic habet. 45) *ὅσον ἂν ἔστιν ἓν ἕκαστον* Theoph. 46) Articulus abest a Theoph. 47) Theoph. hic et infra semper legit *Ἀγέριος*, sicut pro *Ἐγίδιος Νεγίδιος.* 48) Theoph. rectius *ὡμολόγησε.* 49) *ἐνενεχθῆναι* Theoph. Reitz. sed Fabrot. edd. habent, vt nostrum fragmentum, *ἐνεχθῆναι.* Ceterum verba haec: *καὶ πάντα ἐνεχθῆναι εἰς τὴν βέρβις*, absunt a Scholio c. ad Basil. Lib. XI. tit. 2. c. 4. T. I. p. 804. quod alioquin inde a clausula: *εἶτα μετὰ τὸ γενέσθαι κ. τ. λ.* Theophili vestigia presse sequitur; vnde etiam illius varias lectiones (Reitzii T. II. p. 941. exemplo) visum est huc transscribere. 50) Scholiastes *Bas.* sollicite suppressis personarum nominibus ita: *τότε ὁ ἐπερωτηθεὶς .... ἐπερωτᾷ τὸν ἐπερωτήσαντα.* 51) Theoph. et Schol. *Bas.* inserunt: *ἐκ τοῦ ἐναντίου.* Quod sequitur: *ἐπερωτᾷ*, habet quidem Fabrotvs, sed Reitzivs: *ἐπηρώτησεν.* 52) *οὕτως· εἴτι* Schol. *Bas.* 53) Theoph. addit nomen: *ὁ Νουμέριος Νεγίδιος*, pro quo Schol. rursus habet *ἐγώ*, sicut pro *διὰ τῆς ἐπερ.* ap. Schol. simpliciter exstat: *διὰ τῆς ἐπερωτήσεως.* 54) *ὁ ἐπερωτήσας λέγων* Schol.

ρούχιος· „ἔχω λαβὼν, ἢ καὶ ληφθὲν ἀπηνεγκάμην.“ Καὶ ἰδοὺ [55]) διὰ μὲν τῶν πρώτων ῥημάτων [56]) ἔνεστιν ἡ βίρβις, ἡ διὰ τῆς Ἀκουϊλιανῆς πᾶσαν αἰτίαν προϋπάρχουσαν [57]) νοβατεύουσα, ἤτοι μετατιθεῖσα. Διὰ δὲ τῶν δευτέρων ἐτέχθη ἀκκεπτιλατίων ἤτοι ἀθώωσις, τὴν Ἀκουϊλιανὴν ἐπερώτησιν [58]) διαλύουσα. Αὕτη τοίνυν ἔστιν ἡ παρὰ τῷ πλήθει λεγομένη Ἀκουϊλιανὴ [59]) ἐπερώτησις.

verborum obligatio, quae per Aquillianam (s t i p u l a t i o n e m) quamlibet caussam praecedentem innouauit, id est, conuertit. Per posteriorem autem nata est acceptilatio, Aquillianam stipulationem dissoluens. Haec ipsa igitur est, quae vulgo Aquilliana vocatur stipulatio.

Iam etsi, ex quo fonte maxima saltem tractatus huius pars manauerit, neminem fugere potest, qui, quae supra indicauimus Theophili loca, a nostro, quisquis fuerit, vel in compendium redacta, vel ad verbum adeo descripta, cum ipso opusculo comparaverit, idemque, quanta Theophilus apud Iurisconsultos Graecos et

55) *διὰ τῶν προτέρων* Schol. 56) *συνέστη* Theoph. et Schol. quod verius. 57) *ἐνοβάτευσε* sine explicatione Theoph. et Schol. quare etiam pro ἡ ibi exstat ἢ. 58) *διαλύσουσα* Schol. pro quo, si Reitzium audias, reponendum *διαλύσασα.* Ceterum Schol. post verbum *διαλύσουσα* addit: *ὥς φησιν ἰνστιτ. γ'. τιτ. κθ'.* quae clare produnt, ipsum Theophilum ante oculos habuisse. 59) *διάλυσις* Theoph.

in ipsis Basilicis eorumque Scholiis floreat auctoritate[e]), meminerit: tamen ad ferendum rectum de vniuersa fragmenti propositi ratione iudicium videtur esse necessarium, vt reliquae quoque Graecae iurisprudentiae copiae in consilium adhibeantur, et cum nostro committantur. Ac de Scholio quidem *Βασιλικῶν*, cuius clausula extremae fragmenti particulae respondet, ita dicere occupauimus, vt pronum sit, vtrumque hactenus ex eodem fonte, Theophilo nempe, fluxisse. Quae vero in eo Scholio praecedunt [f]), sicuti reliqua iuris graeci loca ad acceptilationis et Aquillianae stipulationis notiones explicandas spectantia [g]), (nam ad alias doctrinae partes, quas noster summo, vt aiunt, digito attigit, hanc ipsam ob causam graeci interpretes nihil praesidii adferunt) non verbis solum a fragmento nostro plurimum differunt, sed interdum etiam sententia, adeo,

e) Vere *Car. Annib.* FABROTVS in Edit. priori THEOPHILI ad §. 2. de Oblig. „pleraque," ait, „apud Theophilum et libros Basilicorum totidem verbis leguntur." Testimonium praebent e contextu Basilicorum L. XXVIII. tit. 4. c. 46. (T. IV. p. 255.) tit. 5. c. 1. (ib. p. 281 — 286.) Lib. XXXI. tit. 4. c. vn. (ib. p. 747 — 749.) Lib. XXXIII. tit. 1. c. 51 — 53. (ib. p. 761 — 763.) Lib. XXXVI. tit. 1. c. 1. (ib. p. 819.) e scholiis vero, quae exstant sub *o.* ad Lib. XIV. tit. 1. c. 22. (T. II. p. 182. sq.) sub *o.* ad Lib. XXI. tit. 1. c. 14. (ib. p. 554.) et sub *r.* ad Lib. XXVIII. tit. 4. c. 47. (T. IV. p. 280.), vt taceam plurima loca, e THEOPHILI Paraphrasi non laudata tum iisdem Basilicis eorumue scholiis, tum Synopsi, Glossis nomicis et Harmenopulo illata, quae, asterisco praefixo, congessit REITZIVS in Fragmentis Theophili T. II. Paraphraseos p. 929 — 943.

f) Laud. Schol. *c.* ad Basil. Lib. XI. tit. 2. c. 4. T. I. p. 804. a verbis: „*Ἡ Ἀκουϊλιανὴ ἐπερώτησις παντὶ τρόπῳ νοβατεύει,*" vsque ad verba: „*ὁμολογῶ καὶ χρεωστῶ σοι πάντα.*"

g) Vetus Glossarium iuris excerptum a *Barn.* BRISSONIO de verborum, quae ad ius ciuile pertinent, significatione v. *Acceptilatio* p. 13. (cui glossae *Pet. Lucret.* STRVCHTMEYER in Epist. crit. in Glossas nomicas ad Herm. Cannegieterum p. 11 — 13. medicas manus adhibuit, sed, *Andr. Guil.* CRAMERO, Iurisconsulto eodemque litteratore summo, Suppl. ad BRISSONII Op. laud. p. 35. iudice, satis licenter) et v. *Aquillius Gallus* p. 93. (qui lo-

vt commode alterum ex altero suppleri possit atque illustrari. Quibus omnibus diligenter expensis et inuicem collatis, tandem nobis visum est fragmentum, quamquam Theophilinae operae velut ouum ouo simillimum, tamen tum a fonte suo, tum a ceteris iurisprudentiae graecae monumentis, quae aetatem tulerunt, ita discrepare, vt dignum omnino fuerit, quod publicae luci exponeretur.

Cui nostro iudicio vt fidem faciamus, lubet ante omnia provocare ad ea, quae in fragmento plane sunt singularia, nec facile apud alios e graecis interpretibus obuia: compendiosam in primis breuitatem, qua vsus est auctor tum in consociandis sine exemplo rebus alias per maxime dissitas doctrinae partes tradi solitis [h]), tum in colligendis et vno tenore definiendis quatuor contractuum generibus (§. 1.), denique in ineundo numero obligationum, quae quasi ex contractu descendere intelliguntur, procul dubio, vt etiam hactenus propriorum contractuum varietatem aequarent (§. 2.); quod quidem eam vim habuit, vt indebiti mentio supprimeretur simili labe, qualem libellus, Brachylogi nomine notus, in obligatio-

---

cus verbotenus repetitus legitur inter *Glossas nomicas* v. „*Ἀκουϊλιανὴ οὐκ ἔστιν ἀγωγὴ*“ *κ. τ. λ.* T. III. Thes. Otton. p. 1710. sq. postea itidem a STRVCHTMEYERO l. l. p. 15. emendatus.) *Glossae nomicae* vv. *Ἀκκεπτιλατίων*, (in Thes. Ott. T. III. p. 1710.) *Ἀκουϊλιανὴ ἐπερώτησις*, (ib.) *Εἰκονικὴ λῆψις*, (ib. p. 1728.) et *Ἐπερώτησις ἐστὶ συνθήκη κ. τ. λ.* (ib. p. 1734.) et *Scholion* ad Synops. Basilic. L. XXVI. tit. 6. post c. 22. p. 265. Cf. Basilicorum contextus Lib. XXVI. tit. 6. (T. IV. p. 175 — 181.) scholiis ipse destitutus.

h) THEOPHILVS, qui vnus e graecis doctoribus caussas obligandi paullo adcuratius exposuit (nam *Basilica* Lib. LII. tit. 1. in Thes. Meerm. T. V. p. 96 — 103. nihil aliud continent, quam capita tituli D. de O. et A. scholiis carentia, et in reliquis fontibus Postiustinianeis altum est de hoc argumento silentium, si ab exili MICHAELIS *Attaliotae* decreto discesseris, quod sistit Ius Graeco - Romanum T. II. p. 8.), omnino sequutus est Iustinianeam rationem inde a Lib. III. tit. 13.

num quasi ex contractu exemplis recensendis [i]) aditionem hereditatis, actionis ex testamento caussam, praetermittendo contraxit. Neque etiam adgnouit, quam Theophilus [k]) et interpretes Basilicorum cum Glossis nomicis [l]) vno ore adgnouerunt, vel potius a Iustiniano mutuati sunt *acceptilationis* per *εἰκονικὴν καταβολὴν*, seu *imaginariam*, vt Institutiones [m]) loquuntur, *solutionem* definitionem, qua tamen in re magis laudandus noster videtur esse, quam vituperandus, quandoquidem hanc explicationem non in omnem acceptilationem, sed solummodo in eam, quae stipulationem Aquillianam vel certe aliam nouationem subsequitur, cadere existimamus, in primis si vera sunt, quae Iac. Cuiacius [n]) monuit, acceptilationis verbo plerumque et eam, quae praecesserit, stipulationem Aquillianam significari [o]). Et hactenus de his, quae nostro fragmento quasi propria vindicamus. Quae porro de eo adnotabimus, etsi non omnibus, quibus vtimur, iuri graecis monumentis conueniunt, tamen auctori nostro cum vno alteroue communia sunt. Sic sae-

---

i) Lib. III. c. 17.

k) ad §. 1. Quib. mod. toll. oblig.

l) Vid. loca supra not. f. et g. excitata.

m) d. §. 1.

n) Lib. V. Obss. et Emendd. c. 36.

o) Quo procul dubio spectat acceptilationis definitio a Modestino L. II. Regularum proposita, a qua titulus D. de Acceptilat. (L. 1.) orditur: „*Acceptilatio est liberatio per mutuum interrogationem, qua vtriusque contingit ab eodem nexu absolutio.*" Cf. Brissonii Lib. VI. de formulis c. 194. sub fin. p. 551. cui iungenda Ill. Crameri obseruatio in der Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft herausg. von *I. C. von* Savigny, *C. F.* Eichhorn und *I. F. L.* Goeschen B. I. Num. 12. p. 313—315. Neque ab ea notione abhorruerunt Basilicorum auctores, quum titulum 6. Libri XXVI. (Tom. IV. p. 175.) inscriberent *περὶ ἐλευθεριῶν ἤγουν ἀθωώσεως διὰ ἀμοιβαίας ἐπερωτήσεως*, cui rubricae Tipucitus in Paratitlis Basilicorum ineditis, quae exstant in Bibliotheca Vaticana, teste *Ios. Simonio* Assemano Lib. II. Bibliothecae iuris orientalis canonici et ciuilis c. 23. p. 520. adiecit haec: *καὶ τί ἐστι ἀθώωσις.*

pius noster recedit a Theophili consuetudine, verba latina, quae artis sunt, aut retinendi, aut dumtaxat graeca veste induendi [p]); sed plerumque commutare dictiones latinas solet cum graecis, velut *acceptilationem* ἀθώωσιν, *solutionem* καταβολὴν aut διάλυσιν, *novationem* μετάθεσιν, *pure* καθαρὸν reddendo, aut, quas adspernari ausus non est, graeca saltem interpretatione illustrare, cuiusmodi est explicatio adiecta §. 4. vocibus partim graeca quidem forma, sed sermone latino expressis, partim simpliciter latinis: βέρβις, λίτερις, κογσένσο, *ex testamento*, *acceptilatio*, aut §. 5. σολουτίωνος, aut §. 6. ἐνοβάτευσεν, ἰν ῥὲμ, περσονάλια. Qua in re ipsi plane convenit cum ceteris iuris graeci interpretibus Theophilo recentioribus [q]), graeca latinis tantum non vbique substituentibus, aut graecam saltem interpretationem diligenter addentibus; more, vt videtur, seculi, quod, quo longius a Iustinianeo aeuo abfuit, eo magis latina fugit, graeca captauit. Sed ex aduerso in eo noster, Theophili exemplo, tenacior fuit antiquitatis aliis aetatis suae hominibus, quod formulas stipulationis Aquillianae et acceptilationis plane, vt a Theophilo eas acceperat, expressit, ne mutatis quidem personarum contrahentium nominibus sollemnibus [r]), quae tam in Scholio Basilicorum, quod supra cum nostro fragmento contulimus, quam

p) De qua adeundi sunt *Io. Henr.* Mylivs in Historia Theophili c. 6. §. 2. T. II. ed. Reitz. p. 1068. sq. Reitzivs ipse in Praef. ad Theoph. §. 44. T. I. p. XXVI. et §. 48. p. XXVIII. et *Phil. Bernh.* Degen, Vir Amplissimus, in den Bemerkungen über das Zeitalter und die Institutionen-Paraphrase des Theophilus Sect. IV. p. 41. sq.

q) Aequales enim Theophilo eundem morem, latina retinendi, seruasse, multis exemplis docuit Reitzivs Memorabilium ex Scholiis Basilic. T. II. p. 1237.

r) Quae apud nostrum constanter efferuntur Ἀγερούγιος et Ἐγίδιος, vnde forte quis coniecturam capiat, prius nomen non tam ab actoris partibus, quam ab agri possessione repetendum esse.

in Glossario Brissoniano. Glossisque nomicis consulto sunt oblitterata.

Atque haec quidem eum potissimum in finem praemisimus, vt, quae sit fragmenti indoles, facilius perspiciatur. Patet autem ex vniuersa orationis serie, auctorem, quisquis fuerit, id maxime egisse, vt locum de acceptilatione eique cognata stipulatione Aquilliana commentariolo aliquo illustraret. Vnde, quum in iis, quas sub initium scriptionis adumbratas magis, quam iusto et concinno ordine expositas, legimus obligationum siue contrahendarum siue dissoluendarum formas, cardo rei minime versetur, vtique ignoscendum est auctori, quod in adferendis duabus obligationum caussis substiterit, neque earum, quae vel ex maleficio, vel quasi ex maleficio repetendae sint, mentionem fecerit. Pridem enim receptum fuerat, vt doctrina de modis, quibus tolluntur obligationes, contractibus et negotiis, quae quasi in contractuum numero habentur, proxime subiiceretur, et media inter has ac reliquas obligationum caussas collocaretur; quem ordinem non demum in Iustiniani, sed iamiam in Caii Institutionibus seruatum fuisse satis constat [s]). Quae singularis argumenti tractatio vtrum, ad quod statuendum sumus procliuiores, seorsim litteris mandata fuerit [t]), an maioris operis partem constituerit, etsi decidere nolumus, tamen Clarissimo Maio non magis concedere possumus, locum eam

s) Vid. *Gust. Theod. Lud.* Marezoll, Viri Consultissimi, Comm. egregia de ordioe Institutionum (Gotting. 1815. 4.) p. 42. sq.

t) Non caret ius Postiustinianeum graecum exemplis librorum minimi, vt ita dicam, moduli, quibus adeo graviores loci pro more aeui ad maiora molienda parum idonei in compendium redacti sunt, cuiusmodi est opusculum ineditum duorum foliorum sub titulo: *„εἰσὶ ἐν συνόψει αἱ ἀγωγαὶ καὶ αἱ ῥοπαὶ,“* in Cod. MS. Prochiri Basiliani, quem seruat bibliotheca Amplissimi Senatus Lipsiensis, obuium.

inter Basilicorum scholia occupasse. Nondum enim nobis haec scholia diligenter rimatis exemplum occurrit similis formae, quae rebus disiunctissimis enarrandis fines interpretationis cuique capiti aptae egrediatur, quod profecto factum fuisset, si v. c. titulo Basilicorum de acceptilatione generalis de caussis obligationum doctrina, alibi opportunius exsequenda, adcessisset. Et quamquam nostrum fragmentum, vt supra diximus, Basilicorum titulo de Armeniis in Codice Ambrosiano, vnde Celeb. Maius id descripsit, tamquam scholion adhaeret, non tamen inde sequitur, reapse id eam ob caussam pro scholio esse habendum. Quum enim ille titulus postremus sit Libri XLV. [v]) facile fieri potuit, vt spatio, quod librarius exeunte libro vacuum reliquisset, vel ab eodem, vel ab alio libri possessore, inscriberetur tractatus breuissimus, qui istam intercapedinem expleret, nulla ratione habita argumenti, cui subiiceretur, quodque profecto, si quod aliud, a sententia fragmenti toto coelo distat. Qua quidem occasione temperare nobis non possumus, quin, cum Maius plura de Codice illo adferre, praeter consuetudinem, quam in ceteris monumentis sequutus est, omiserit, ex animi sententia optemus, vt Viro Celeberrimo adcuratiorem notitiam eiusdem Codicis, procul dubio aliquot Basilicorum Libros complectentis, cui similem in solo, quo adhuc vtimur, MSS. Bibliothecae Ambrosianae Indice [x]) frustra quaesiuimus, cum rei litterariae fautoribus communicare quam primum videatur. Atque idem Clarissimi Viri silentium in caussa est, quare nec de aetate

v) T. VI. p. 137—139.

x) In Bibliotheca Bibliothecarum MSS. Noua auctore *Bern. de* MONTFAVCON T. I. p. 491 — 530. vbi inter graeci iuris reliquias Ambrosianas MSS. commemorantur *Promtuarium legum Basilii*, *Ecloga Leonis*, *variae Impp. Novellae*, tractatus *de Falcidia*, *Michaelis* ATTALIOTAE *Epitome* et HARMENOPVLI *Manuale legum*.

opusculi quidquam pronunciare valemus, quamquam, si vera essent, quae de Theodoro auctore suspicatus est, simul aetatis argumentum satis probabile inuentum foret. At enimuero veremur, vt Maius cuiquam fidem fecerit de Theodoro, nedum de Theodoro Hermopolita. Nam, quod Theodoro alicui fragmentum tribuit, nulla alia ratione nititur, quam nomine huius interpretis duobus scholiis ad calcem tituli Basilicorum de Armeniis praefixo [y]). Quum autem, quam parum nostrum fragmentum huic ipsi titulo conueniat, in procliui sit, non opus est, vt refutandae coniecturae Maianae immoremur. Et quod de Theodoro Hermopolita addidit, in eo non distinxit Theodorum antiquiorem, Iustiniano *σύγχρονον*, cuius sane sunt scholia Basilicis multo post cum variis additamentis illata, a Theodoro Hermopolita, auctore longe recentiore operis inediti ad ipsa Basilica scripti; praeeunte quidem Reitzio [z]), qui, etsi in his litteris versatissimus, tamen a confusione Iurisconsultorum cognominum sibi non cauit; sed rectius dissentiente Christ. Frid. Pohlio [a]), Viro Illustri, deque iisdem litteris optime merito. Id solum igitur certum est, frustum nostrum post Theophili tempora esse concinnatum; alia omnia de auctore huiusque aetate ignorari.

Superest, vt de inuenti vtilitate pauca adiiciamus. Quam etsi intelligimus minime comparari posse cum praestantia aliorum monumentorum nostris diebus in lucem protractorum, adeo, vt haec ipsa folia in iis, quae Celeberrimi Maii vigilantiae debentur, infimum forte locum occupent, tamen, si plane nullam esse negemus,

---

y) T. VI. p. 139.

z) Memorabilia ex Scholiis Basilicorum v. *Theodorus* (*Hermopolites*); in Theophili T. II. p. 1240. sq.

a) Ad *Ios. Mariae* Svaresii Notitiam Basilicorum §. 20. not. ω. p. 73 — 76.

non veremur, ne aequos harum rerum aestimatores nacturi simus aduersarios. Etenim, si quid videmus, praeter fructum communem, quem e qualibet quantumuis tenui fontium suorum et praesidiorum accessione capit solidior iurisprudentia, duplex potissimum fragmenti dos est, altera, quod passim Theophilo meliores lectiones suppeditat, altera, quod euidentius docet, non minus in Byzantino imperio, quam in regionibus Occidentis, etiam medio aeuo viguisse stipulationis Aquillianae auctoritatem, cuius vestigia nec in instrumentis huius aeui desiderantur [b]).

Sed indicenda nunc sunt sollemnia inauguralia Candidati summorum in iurisprudentia honorum doctissimi,

GVSTAVI FRIDERICI HAENELII,

ANNABERGENSIS,

PHIL. D. AA. LL. M. I. V. B. ADVOCATI ET NOTARII PVBL. IN REGNO SAX. IMMATRICVLATI,

qui de vitae suae laudabiliter adhuc actae et studiorum ratione scripsit haec:

Natus sum Annabergae, anno superioris seculi XCII., patre CHRISTIANO THEOPHILO, mercatore, quem adhuc Deus seruauit, matre CHRISTIANA DOROTHEA, e gente EISENSTVCKIA, iam ante de-

b) Sic in tabula emtionis venditionis anno 551. p. C. n. celebratae apud *Caietanum* MARINIVM in Opere eximio: I Papiri diplomatici raccolti ed illustrati Num. 119. lin. 57. p. 182. memoratur *Lex Aquiliana*, sub qua, monente Viro Celeberrimo *Frid. Car. de* SAVIGNY in libro laude nostra maiore: Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter B. II. p. 187. not. 29. nihil aliud intelligi potest, quam stipulatio Aquilliana. Plura exempla suppeditat MARINIVS in Commentario ad illam tabulam p. 347. not. 19.

cem annos fato mihi erepta. Puerilem aetatem in patria domo moratus, nil fere narratu dignum, praeter ipsum parentum amorem atque pietatem, qua liberorum suorum curam gerebant, expertus sum. Praeceptorem nactus sum DEUTSCHMANNVM, qui nunc Torgauiae popularem scholam moderatur, virum et animi virtutibus et eruditione insignem, mihique pie colendum, qui praeter alia ab iis, qui vltra vulgus sapere cupiunt, disci solita, etiam linguae latinae atque matheseos rudimenta me docuit. Cum duodecimum aetatis annum agerem, vrbis patriae Lyceum adii, in quo per quatuor, et quod excurrit, annos FAEHSII et KREYSSIGII disciplina vsus sum, quorum alter hoc tempore Gymnasio Servestensi praefectus, alter in schola prouinciali Misnensi Professoris munere fungitur. Animo in primis ad theologiae studium inclinante, et Hebraica tractaui et Graeca non neglexi: sed postea aliae me rationes, vt iuris scientiam praeferrem, impulerunt, quam talem cognoui, vt numquam ab ea discedendi causam inuenirem.

Die XXIII. Maii, anno huius seculi VIII., Lipsiae a TITTMANNO, Rectore tum temporis Magnifico, in numerum ciuium academicorum receptus sum, ibique plus quam tres annos in litteris consumsi. In iure ciuili et Saxonico priuato HAVBOLDVM, qui et interpretandi iuris ciuilis arte, et cognitione eius litteraria me imbuit, in historia iuris Romani MVELLERVM, in philosophia beatum BREHMIVM, PLATNERVM et WENDTIVM, in historia BECKIVM et WIELANDVM, in iure Germanico, canonico et regni Saxonici publico WEISSIVM, in iure criminali et ordine iudiciorum discendo BIENERVM, in iure feudali RAVIVM praeceptores habui. Praeterea HERMANNVM selecta Iliados loca interpretantem, et WIELANDVM iuris publici vniuersalis praecepta tradentem, audiui, et scholis disputatoriis KORI interfui; in

arte relatoria decretoriaque KEESIVS atque b. ERHARDVS me instituerunt, cuius auspiciis etiam iurisprudentiae heurematicae exercitia feci. Die XXVII. Aug. anni MDCCCXI. varia iuris controuersi capita, praeside HAVBOLDO, publice defendi, cuius Viri Illustris patrocinio semper ita sum vsus, vt non possim, quin ei, hac oblata occasione, pro summa beniuolentia et humanitate, qua mihi rebusque meis semper consultum voluit, gratissimi animi sensus publice aperiam. — Mense Octobri eiusdem anni examini publico me subieci, quo feliciter peracto, ab Illustri ICtorum Ordine Iuris vtriusque Baccalaureus et Notarius publicus creatus, quum aliquanto longius studiis academicis vacare constituissem, mox Heidelbergam me contuli, et in Academia Ruperto-Carolina annum transegi, cuius temporis memoriam numquam sine maxima animi voluptate recolo. In illa Academia a CAROLO SALOMONE ZACHARIAE philosophiam iuris et ius ciuile Francogallorum didici, KLVEBERVM iuris publici foederis Rhenani praeceptorem, MARTINVM exercitia iuris pragmatica moderantem, et b. ACKERMANNVM doctrinam anthropologiae forensis anatomicis demonstrationibus illustrantem, sequutus sum, nec non ESCHENMAYERI de oeconomia politica scholas frequentaui. De iure Pandectarum, quod maiore cum temporis impensa illic tractabatur, praelectiones audire reliquorum studiorum ratio me prohibebat; sed ne penitus doctissimorum virorum, qui tum ius ciuile docebant, scholas praeterirem, THIBAVTIVM de vsucapionibus et praescriptionibus, et HEISIVM de iure hereditatum disserentes audiui.

Sub finem anni MDCCCXII. in patriam redux, aliquot menses Annabergae in speciminibus pro facultate caussas publice dicendi elaborandis consumsi; quibus a Summo Regimine Dresdensi approbatis, Dresdam adii, ibique per biennium magnamque tertii anni partem sub au-

spiciis EISENSTVCKII, celeberrimi caussarum patroni, cui cognationis vinculo non minus, quam animi deditissimi adfectu coniunctum, beneque factorum memoria obstrictum me sentio, negotiis forensibus operam dedi. Neque vt proprio Marte consulentibus adessem, et in foro litium fortunam experirer, occasio defuit, postquam in numerum Aduocatorum receptus sum. — Sed nescio qui literarum amor, quae veri indagandi cupiditas me iusserit ab hac via deflectere, atque vt in iuris scientia perdiscenda docendaque omne studium ponerem, hanc Academiam repetere.

Anno MDCCCXV., inter ferias autumnales, Lipsiam adueni, et statim initium docendi feci scholis examinatoriis, quibus Institutiones iuris ciuilis secundum ordinem legalem auditoribus exposui: praeterea et aliis, qui seorsim institui iuris doctrina volebant, operam dedi. Die XXIV. Febr. anni superioris summos in philosophia honores adeptus sum. Semestri, quod sequebatur, aestiuo gratis de modo procedendi apud Summum Prouocationum Senatum vsitato, ex thesibus meis, praelectiones habui, quum non abs re esse putarem, si ii, qui aliquando in foro illo supremo caussas acturi essent, iam in antecessum regulas ibi praescriptas cognouerint. Eodem tempore dissertationem meam inauguralem de adquirendo rerum dominio scripsi. E valetudine aduersa, quae et studia mea aliquamdiu interrumpebat, neque leuis momenti erat, Deo saluatore incolumis euasi. Semestri proximo collegium practicum institui, quo praeter stili exercitationem et ordinis iudiciorum perspicientium etiam id adsequi studui, vt ipsam legum applicationem, et quemadmodum doctrina iuris ad casus obuios vtendum esset, adolescentes discerent. Praeterea scholis gratuitis loca quaedam iuris ciuilis probantia cum auditoribus perlustraui. — Initio huius anni examine, quod vocant, rigoroso defunctus, libellum scripsi de hereditate ex principiis iuris naturalis

iudicanda, eumque die XVI. Aprilis Amplissimi Philosophorum Ordinis auctoritate, ad optima magisterii iura rite obtinenda, publice defendi. — Nunc aliud opus maioris conaminis suscepi, quum mihi librum CVRTIO auctore inchoatum, de iure ciuili, quo in Saxonia vtimur, perficere mandatum sit; quod vt illius Viri Illustris nomine non indignum fiat, vt omnes cupiunt, sic ego pro virili parte contendam operamque nauabo.

Quam autem Candidatus Praeclarissimus, antequam e nostra Academia discessisset, in priori tentamine Ordini nostro probauerat ingenii vbertatem et doctrinae praestantiam, eamdem, quum reuersus ad nos, vt studiis, quae inter forensium negotiorum strepitus numquam intermisit, totum se addiceret, in altero colloquio, cui Doctoratus in vtroque iure consequendi gratia se stitit, nuper ita expediuit, vt Ordo vnanimi consensu eum his honoribus dignissimum iudicaret. Defuncturus autem reliquis speciminibus, quae a Candidatis eorumdem honorum exiguntur, non solum crastino die, hora a meridie secunda, in Auditorio nostro, *Legem II. C. Vbi in rem actio exerceri debeat* interpretabitur, sed etiam insequenti statim die, qui futurus est X. mensis Iunii, Dissertationem inauguralem *de adquirendo rerum dominio* elaboratissime a se scriptam, eodem loco, inde ab hora nona publice et sine Praeside defendet. Quo facto *Vir Illustris, Excellentissimus atque Consultissimus, D.* CHRISTIANVS ERNESTVS WEISSIVS, *Supremae Curiae Prouincialis Consiliarius, Iuris Criminalis Professor Publicus Ordinarius, Ordinis Iurisconsultorum h. t. Decanus,* Collega coniunctissimus et in primis suspiciendus, cui ego, Cancellarii vice ac munere, Promotoris partes rite delegaui, summos in vtroque iure honores cum omnibus priuilegiis ac iuribus huic dignitati adnexis, sola spe ad sessionem in Collegio nostro adspirandi excepta, ipsi tribuet atque

concedet. Quam sollemnitatem vt Vos, Rector Academiae Magnifice, Celsissimi Principes, Illvstrissimi Comites, Vtrivsqve Reipvblicae Proceres Gravissimi, nec non Vos, Commilitones Generosissimi et Hvmanissimi, praesentia Vestra reddere velitis splendidiorem, Vos omnes ac singulos tum Candidati, tum Ordinis mei meoque ipsomet nomine rogo atque oro.

P. P. in Vniuersitate litterarum Lipsiensi Dominica I. post Festum Trinitatis A. C. cIɔIɔcccxvii.

